

ille audiens, illic obstupuit, vultum regis ac reginae ferre non sustinens. Rex autem iratus surrexit, & de loco convivi intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit ut rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim a rege sibi paratum malum.

R. Confórta me Rex, Sanctórum princípátum tenens: * Et da sermónem rectum, & benè sonántem in os meum. **V.** Dómine Rex univérse potestátis, converté consilium eórum super eos. Et da.

Lectio ij.

Qui cùm revérsus esset de horto nemóribus cónsisto, & intrasset convivi locum, réperit Aman super léctulum corruisse, in quo jacébat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsenté, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuérunt faciém ejus. Dixitque Harbóna, unus de eunúchis, qui stabant in ministério regis: En lignum, quod paráverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suspénsus est itaque Aman in patibulo quod paráverat Mardochæo: & regis ira quíevit.

R. Spem in álium numquam hábui, præterquam in te Deus Israël: * Qui irásceris, & propítius eris: & ómnia peccáta hóminum in tribulatióne dimittis. **V.** Dómine Deus créator cœli & terræ, respice ad humilitátem nostram. Qui irásceris. Glória Patri. Qui irásceris.

S. A. B. B. A. T. O.
Ante Dominicam primam Octobris.
Ad Magnificat, Antiphona.

Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem Dóminus Deus noster.

DOMINICA I.

Octobris.

In primo Nocturno.

Incipit liber primus Machabæorum.

Lectio j. Cap. i.

Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum, & Medorum: constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiões, & interfecit reges terræ. Et pertransiit usque ad fines terræ: & accepit spolia multitudinis Géntium: & siluit terra in conspectu ejus. Et congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor ejus: & obtinuit regiones Géntium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum. Et post hæc decidit in léctum, & cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti à juventute: & divisit illis regnum suum, cùm adhuc viveret.

R. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diébus vestris: * Concedat vobis salutem, & redimat vos à malis. **V.** Exaudiat Dóminus oratiões vestras, & reconciliétur vobis, nec vos désérat in tempore malo. Concedat vobis.

Lectio ij.

Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus est. Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo: & imposuerunt omnes sibi diadematam post mortem ejus, & filii eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra. Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnavit in anno centésimo, trigésimo séptimo regni Græcorum.

B.

R. Exaudiat Dóminus oratiões vestras, & reconciliétur vobis, nec vos désérat in tempore malo, * Dóminus Deus noster. **V.** Det vobis cor ómnibus ut colátis eum, & faciátis ejus voluntatem. Dóminus.

Lectio iij.

In diébus illis exierunt ex Israël filii iniqui, & suasérunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Géntibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem ut facerent iustitiam Géntium. Et edificaverunt gymnasium in Jerosólymis secundum leges Nationum. Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & juncti sunt Nationibus, & venundati sunt ut facerent malum.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriántur in virtute sua: cóntere fortitudinem illórum Dómine, & dispérge illos: * Ut cognóscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **V.** Dispérge illos in virtute tua, & destrue eos protectores nostros. Dómine. Ut cognóscant. Glória Patri. Ut cognóscant.

In secundo Nocturno.

Ex libro Officiorum S. Ambrósii Episcopi.

Lectio iv. Lib. i. cap. 40.

Fortasse aliquos bélica defixos glória tenet, ut putent solam esse præliarem fortitudinem: & idè me ad ista dellexisse, quia illa nostris deforet. Quàm fortis Jesus Nave, ut uno prælio quinque reges captos sterneret cum populis suis? Deinde cùm adversum Gabaonitas urgeret prælium, & vereretur ne nos impediret victoriam, magnitudine mentis & fidei clamavit: Stet sol!

Pars Æstiva.

& stetit, donec victoria consummaretur. Gédeon in trecentis viris de ingenti populo & acerbò hoste revexit triumphum. Jónathas adolescens virtutem magnam fecit in prælio.

R. Impetum inimicórum ne timeatis: mémoires estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamemus in cœlum, & miserébitur nostri Deus noster. **V.** Meméntote mirabilium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercitui ejus in Mari rubro. Et nunc.

Lectio v.

Quid de Machabeis loquar? Sed prius de populo dicam patrum: qui cùm essent parati ad repugnandum pro templo Dei, & pro legitimis suis, quòd hóstiis die lacessiti sabbati, maluérunt vulneribus offerre nuda corpora, quam repugnare, ne violarent sabbatum. Itaque omnes læti se obtulerunt morti. Sed Machabæi considerantes quòd hoc exémplo gens omnis posse perire, sabbato etiam, cùm ipsi in bellum provocarentur,ulti sunt innocenti necem fratrum suorum. Undè postea stimulatus rex Antiochus, cùm bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Górgiam, ita cum Orientalibus suis & Assyriis attritus est copiis, ut quadrangula & octo millia in medio campi a tribus millibus prosternerentur.

R. Congregate sunt Gentes in multitudine, ut dimiceret contra nos, & ignoramus quid agere debeamus:

* Dómine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **V.** Tu scis quæ cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illórum, nisi tu adjuves nos? Dómine Deus.

Lectio vj.

Virtutem duels Judæ Machabæi de uno ejus milite considerate. Namque Eleazarus, cùm supereminens

nentem cæteris elephântem lorica vestitum régia adverteret, arbitratus quodd in eo esset rex, cursu concito in médium legiónis se proripit: & abjecto clypeo, utraq; manu interficiëbat, donec perveniret ad bestiam, atque intravit sub eam; & subieçto gladio interém it eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi! primò, ut mortem non timëret: deinde, ut circumfusus legiónibus inimicòrum, in confertos raperetur hostes, médium penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abjecto clypeo, utraq; manu vulneratæ molem bestie subiret ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu: cuius ruina inclusus, magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho.

¶ Tua est potèntia, tuum regnum Dòmine: tu es super omnes gentes:

¶ Da pacem Dòmine in diebus nostris. ¶ Creator omnium Deus, terribilis, & fortis, iustus & misericors. Da pacem. Glória Patri. Da.

Lectio ij. Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis: ¶ Et fortitudo Gèntium dissipata est. ¶ Erat enim exercitus magnus valde, & fortis: & appropiavit Judas, & exercitus ejus in prælio. Et.

¶ **R. vij.** Duo Sèraphim clamabant alter ad alterum: ¶ Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dòminus Deus Sabaoth: ¶ Plena est omnis terra glòria ejus. ¶ Tres sunt qui testimònum dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

Infra Hebdomadam, Feria quarta & Sabbato post secundam & tertiam Lectionem dicitur secundum & tertium R. sequentis Ferie secundæ.

Responsoria hujus Dominicæ dicuntur in sequentibus Dominicis usque ad Dominicam j. Novembris.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. Cap. 1. c.

ET paratum est regnum in conspectu Antiochi, & cepit regnare in terra Ægypti, ut regnaret super duo regna. Et intravit in Ægyptum in multitudine gravi, in curribus, & elephantis, & equibus, & copiosa navium multitudi- ne: & constituit bellum adversus Ptolemæum regem Ægypti, & veritus est Ptolemæus à facie ejus, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi. Et comprehendit civitates munitas in Terra Ægypti: & accepit spolia Terræ Ægypti:

¶ Dixit Judas Simóni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, libera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, ibimus in Galaaditim: ¶ Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat. ¶ Accingimini filii potentes, & estote parati: quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum. Sicut fuerit.

Lectio ij.

ET convertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit ad Israël, & ascendit Jerosólymam in multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum laminis, & universa vasa ejus, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornámentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.

¶ Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Dòmino: ¶ Et facta est lætitia magna in populo. ¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dòminum. Et facta.

Lec-

Lectio iij.

ET accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos, quos invenit: & sublatis omnibus abijt in terram suam. Et fecit cædem hóminum, & locutus est in superbia magna. Et factus est plactus magnus in Israël, & in omni loco eorum: & ingemuerunt principes, & seniores: virgines, & juvenes infirmati sunt, & speciositas mulierum immutata est. Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugébant. Et commota est terra super habitantes in ea, & universa domus Jacob induit confusionem.

¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dòminum: ¶ Qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis Dòminus omnipotens. ¶ Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Dòmino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

Responsoria hujus secundæ Ferie repetuntur in aliis secundis Fieriis usque ad Dominicam j. Novembris.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. Cap. 2.

IN diebus illis surrexit Mathathias filius Joannis, filii Simeonis, sacerdos ex filijs Joarib ab Jerusalem, & consedit in monte Modin: & habebat filios quinque, Joannem, qui cognominabatur Gaddis: & Simonem, qui cognominabatur Thasi: & Judam, qui vocabatur Machabæus: & Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Jónathan, qui cognominabatur Apphus. Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Juda, & in Jerusalem.

¶ Hic est fratrum amator, & populi Israël: ¶ Hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate Jerusalem. ¶ Vir iste in populo suo mitissimus apparuit. Hic.

Lectio ij.

ET dixit Mathathias: Væ mihi: ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illi, cum datur in manibus inimicòrum? Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ ejus captiva abducuntur principes, & senes ejus in plateis, & juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicòrum. Que gens non hereditavit regnum ejus, & non obtinuit spolia ejus?

¶ Tu Dòmine universòrum, qui nullam habes indignitatem, voluisti templum tuum fieri in nobis: ¶ Conserva domum istam immaculatam in ætèrnum Dòmine. ¶ Tu elegisti Dòmine domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis populo tuo. Conserva.

Lectio iij.

ET scidit vestimenta sua Mathathias, & filii ejus: & operuerunt se cilicis, & planxerunt valde. Et venerunt illuc qui missi erant à rege Antiocho, ut cogèrent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, & accendere thura, & à lege Dei discedere. Et multi de populo Israël consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias, & filii ejus constanter steterunt.

¶ Aperi oculos tuos Dòmine, & vide afflictionem nostram: circumdederunt nos Gentes ad puniendum nos: ¶ Sed tu Dòmine extende brachium tuum, & libera animas nostras. ¶ Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbiam, & custodi p. tem tuam. Sed tu Dòmine. Glória Patri. Sed tu.

Responsoria hujus tertie Ferie repetuntur in aliis tertiis Fieriis usque ad Dominicam primam Novembris.

T 2

FE-

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio I. *Cap. 2. b*

ET respondit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque ad servitutem legis patrum suorum, & consentiat mandatis ejus: ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem, & justitias Dei: non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera viæ.

R. Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis: **E**t fortitudo Gentium dissipata est. **V.** Erat enim exercitus magnus valde & fortis: & appropriavit Judas, & exercitus ejus in prælio. Et fortitudo.

Lectio II.

ET ut cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum jussum regis: & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum iudicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram: sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit, & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomé.

R. Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Dómino: **E**t facta est lætitia magna in populo. **V.** In hymnis & confessionibus benedicébant Dómino. Et.

Lectio III.

ET exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me. Et fugit ipse, & filii ejus in montes, &

reliquerunt quæcumque habebant in civitate. Tunc descendérunt multi querentes iudicium, & justitiam in deserunt: & sederunt ibi ipsi, & filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quóniam inundaverunt super eos mala.

R. In hymnis & confessionibus benedicébant Dómino: **Q**ui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis Dóminus omnipotens. **V.** Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

FERIA QUINTA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio I. *Cap. 2. f*

ET appropinquaverunt dies Mathathie moriendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus eversiónis, & ira indignationis. Nunc ergo, o filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testimonio patrum vestrorum, & memento óperum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis glóriam magnam, & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est ei ad justitiam? Joseph in tempore angustie suæ custodivit mandatum, & factus est dóminus Ægypti. Phinees pater noster, zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.

R. Adaperiat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diebus vestris: **C**oncedat vobis salutem, & redimat vos à malis. **V.** Exaudiat Dóminus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Concedat.

Lectio II.

JESUS, dum impletur verbum, factus est dux in Israël. Caleb, dum testificatur in ecclesia, accepit here-

di-

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio I. *Cap. 2. g & 3.*

DEfunctus est Mathathias anno centésimo & quadragesimo sexto: & sepultus est à filiis suis in sepulchris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnis Israel planctu magno. Et surrexit Judas, qui vocabatur Machabæus filius ejus pro eo: & adiuvabant eum omnes fratres ejus, & universi, qui se conjunxerant patri ejus, & præliabantur prælium Israël cum lætitia. Et dilatavit glóriam populo suo. Et persecutus est iniquos, perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis: & repulsi sunt inimici ejus præ timore ejus: & omnes operarii iniquitatis conturbati sunt: & directa est salus in manu ejus.

R. Impetum inimicorum ne timeritis: memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: **E**t nunc clamemus in cœlum, & miserébitur nostri Deus noster. **V.** Memento mirabilem ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercitui ejus in Mari rubro. Et.

Lectio II.

ET exacerbabat reges multos, & lætificabat Jacob in óperibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione. Et perambulavit civitates Juda, & perdidit impios ex eis, & avértit iram ab Israël. Et nominatus est usque ad novissimum terræ, & congregavit perientes. Et congregavit Apollónius Gentes, & à Samaria virtutem multam, & magnam ad bellandum contra Israël. Et cognovit Judas, & exiit obviam illi: & percussit, & occidit illum, & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt. Et accepit spolia eorum: & gladium Apollónii abstulit Judas, & erat pugnavus in eo omnibus diebus.

T 3

R.

ditatem. David in sua misericórdia concenscitus est sedem regni in sæcula. Elias, dum zelat zelum legis, recépsum est in cœlum. Ananias, & Azarias, & Missaël credentes, liberati sunt de flamma. Daniël in sua simplicitate liberatus est de ore leónum. Et ita cogitate per generatiónem, & generatiónem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur. Et à verbis viri peccatoris ne timeritis: quia glória ejus steruus, & vermis est: hodiè extóllitur, & cras non inveniétur: quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus périt.

R. Exaudiat Dóminus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. **D**ominus Deus noster. **V.** Det vobis cor ómnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem. Dóminus.

Lectio III.

VO vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipsa gloriósi eritis. Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consilii est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus fortis viribus à juventute sua, sit vobis princeps militiae, & ipse aget bellum populi. Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicáte vindictam populi vestri. Retribuite retributiónem Gentibus, & intendite in præceptum legis. Et benedixit eos, & appositus est ad patres suos.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriántur in virtute sua: cóntere fortitudinem illorum Dómine, & disperge illos: **U**t cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **V.** Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector noster Dómine. Ut cognoscant. Glória Patri. Ut cognoscant.

R. Congregate sunt Gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, & ignoramus quid agere debeamus: **V.** Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **V.** Tu scis quae cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adjuves nos? **D.** Domine.

Lectio ij.

ET cecidit timor Judae, ac fratrum ejus, & formido super omnes gentes in circuitu eorum. Et pervenit ad regem nomen ejus, & de praeliis Judae narrabant omnes gentes. Ut audivit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo: & congregavit exercitum universi regni sui, castra fortia valde: & aperuit ararium suum, & dedit stipendia exercitui in annum: & mandavit illis ut essent parati ad omnia.

R. Tua est potentia, tuum regnum Domine: tu es super omnes gentes: **V.** Da pacem Domine in diebus nostris. **V.** Creator omnium Deus, terribilis & fortis, justus & misericors. Da pacem. Gloria Patri. Da.

S A B B A T O.

De libro primo Machabaeorum.

Lectio j.

Cap. 3. f.

ET vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicata sunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum: & cognoverunt verba regis, quae mandavit populo facere in interitum, & consummationem: & dixerunt unusquisque ad proximum suum: Erigamus dejectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris. Et congregatus est conventus ut essent parati in praelium: & ut orarent, & peterent misericordiam, & miserationes. Et Jerusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de nativitate ejus: & sanctum conculcabatur.

tur: & filii alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata est voluptas a Jacob, & desecit ibi tibia, & cithara.

R. Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenderunt montes ab eis: **V.** Et fortitudo Gentium dissipata est. **V.** Erat enim exercitus magnus valde & fortis: & appropiavit Judas, & exercitus ejus in praelio. Et.

Lectio ij.

ET congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Jerusalem: quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel. Et jejunaverunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo: & disciderunt vestimenta sua: & expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorum suorum: & attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias, & decimas: & suscitaverunt Nazaraeos, qui implerant dies: & clamaverunt voce magna in caelum, dicentes: Quid faciemus istis, & quod eos ducemus?

& sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem. Et ecce Nationes convenerunt adversum nos, ut nos disperdant: tu scis quae cogitant in nos. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adjuves nos?

R. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino: **V.** Et facta est letitia magna in populo. **V.** In hymnis & confessionibus benedicebant Domino. Et facta.

Lectio iij.

ET tubis exclamaverunt voce magna. Et post haec constituit Judas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones. Et dixit his, qui edificabant domos, & sponsabant uxores, & plantabant vineas, & formido-

do-

dolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. Et moverunt castra, & collocaverunt ad Austrum Emmaum. Et ait Judas: Accingimini, & estote filii potentes, & estote parati in mane, ut pugnetis adversus Nationes has, quae convenerunt adversus nos disperdere nos, & sancta nostra: quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostrae, & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in caelo, sic fiat.

R. In hymnis & confessionibus benedicebant Domino: **V.** Qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis Domino omnipotens. **V.** Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino. Qui magna. Gloria Patri. Qui magna.

Ad Magnificat, Antiphona.

Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenderunt montes ab eis, & fortitudo Gentium dissipata est.

D O M I N I C A I I.
Octobris.

In primo Nocturno.

De libro primo Machabaeorum.

Lectio j.

Cap. 4. e.

Dixit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renovare. Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion. Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atris virgulta nata, sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum. Et ceciderunt in faciem super terram, & exclamaverunt tubis signorum, & clamaverunt in coelum.

R. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, & in praecipis suis, &

faciat pacem in diebus vestris: **V.** Concedat vobis saltem, & redimet vos a malis. **V.** Exaudiat Dominus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Concedat vobis.

Lectio ij.

Tunc ordinavit Judas viros ut pugnarent adversus eos, qui erant in arce, donec emundarent sancta. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: & mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. Et incidit illis consilium, quod destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud Gentes, & demoliti sunt illud. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & responderet de eis.

R. Exaudiat Dominus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo, **V.** Dominus Deus noster. **V.** Det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem. Dominus.

Lectio iij.

ET acceperunt lapides integros secundum legem, & edificaverunt altare novum secundum illud, quod fuit prius: & edificaverunt sancta, & quae intra domum erant intrinsecus: & aedem & atria sanctificaverunt. Et fecerunt vasa sancta nova, & intulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in templum. Et incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas, quae super candelabrum erant, & lucebant in templo. Et posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela, & consummaverunt omnia opera, quae fecerant.

T 4

R.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua: cōtere fortitudinem illōrum Dōmine, & disperge illos: * Ut cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **V.** Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector noster Dōmine. Ut cognoscant. Glōria Patri. Ut.

In secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei.

Lectio iv. Lib. 18. cap. 45.

Posteaquam gens Judæa cepit non habere Prophetas, proculdubio deterior facta est, eo scilicet tempore, quo se sperabat, instaurato templo, post captivitatem, que fuit in Babylonia futuram esse meliorem. Sic quippe intelligebat populus ille carnalis, quod prænuntiatum est per Aggeum Prophetam, dicentem: Magna erit glōria domus istius novissimæ plus quam primæ. Quod de novo Testamento dictum esse, paulo superius demonstravit, ubi ait aperte Christus promittens: Et movebo omnes Gentes: & veniet desideratus cunctis Gētibus.

R. Impetum inimicōrum ne timueritis: memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: * Et nunc clamemus in cœlum, & miseribitur nostri Deus noster. **V.** Memento mirabilium ejus, que fecit Pharaōni, & exercitui ejus in mari Rubro. Et.

Lectio v.

Talibus enim electis Gēntium, domus Dei edificatur per Testamentum novum lapidibus vivis, longè gloriosior, quam templum illud fuit, quod a rege Salomōne constructum est, & post captivitatem instauratum. Propter hoc ergo nec Prophetas ex illo tempore habuit illa gens: sed multis cladibus afflicta est ab alienigenis regibus, ipsisque Ro-

manis, ne hanc Aggæi prophetiam in illa instauratiōe templi opinaretur implētam. Non multo enim post, adveniēte Alexandro, subjugata est: quando etsi nulla facta est vastatiō, quoniam non sunt ausi ei resistere, & ideo placatum facillimè subditi receperunt; non erat tamen glōria tanta domus illius, quanta fuit in suorum regum libera potestate.

R. Congregate sunt Gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, & ignoramus quid agere debeamus: * Dōmine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **V.** Tu scis que cōgitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illōrum, nisi tu adjuves nos? Dōmine Deus.

Lectio vj.

Deinde Ptolemæus Lagi filius, post Alexandri mortem captivus indè in Ægyptum transtulit: quos ejus successōr Ptolemæus Philadelphus benevolentissimè indè dimisit: per quem factum est, ut Septuaginta interpretum Scripturas haberemus. Deinde contriti sunt bellis, que in Machabæorum libris explicantur. Post hæc capti a rege Alexandria Ptolemæo, qui est appellatus Epiphanes, indè ab Antiocho rege Syriæ multis, & gravissimis malis ad idola colēda compulsi: templūque ipsum replētum sacrilegis superstitionibus Gēntium, quod tamen dux eorum strenuissimus Judas, qui etiam Machabæus dictus est, Antiochi dōcibus pulsus, ab omni illa idololatriæ contaminatiōe mundavit.

R. Tua est potētia, tuum regnum Dōmine: tu es super omnes Gentes: * Da pacem Dōmine in diēbus nostris. **V.** Creator omnium Deus, terribilis & fortis, justus & misericors. Da pacem. Glōria Patri. Da pacem. **R. vj.** Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab

ab eis: * Et fortitudo Gēntium dissipata est. **V.** Erat enim exercitus magnus valde, & fortis: & appropiavit Judas, & exercitus ejus in prælio. Et fortitudo.

R. vij. Duo Sēraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dōminus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra glōria ejus. **V.** Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glōria Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. Cap. 4. f.

An te matutinum surrexerunt quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragésimi octavi anni: & obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum novum, quod fecerunt. Secundum tempus & secundum diem, in qua contaminaverunt illud Gentes, in ipsa renovatum est in canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis. Et cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt, & benedixerunt in cœlum eum, qui prosperavit eis.

R. Dixit Judas Simōni fratri suo: Elige tibi viros, & vade, libera fratres tuos, in Galilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, ibimus in Galaaditim: * Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. **V.** Accingimini filii potentes, & estote parati: quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctuarium. Sicut fuerit.

Lectio ij.

ET fecerunt dedicatiōem altaris diēbus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris, & laudis. Et ornaverunt faciem templi corōnis aureis, & scutulis, & dedicaverunt portas, & pastophōria, & imposuerunt eis ja-

nuas. Et facta est lætitia in populo magna valde, & aversum est opprobrium Gēntium. Et statuit Judas, & fratres ejus, & universa ecclesia Israël, ut agatur dies dedicatiōis altaris in tempōribus suis, ab anno in annum, per dies octo, a quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudiō.

R. Ornaverunt faciem templi corōnis aureis, & dedicaverunt altare Dōmino: * Et facta est lætitia magna in populo. **V.** In hymnis & confessiōibus benedicebant Dōminum. Et facta.

Lectio iij.

ET edificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, nequidē venirent Gentes, & conculcarent eum sicut antea fecerunt. Et collocavit illic exercitum, ut servarent eum, & munivit eum ad custodiendam Bethsūrā, ut haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

R. In hymnis & confessiōibus benedicebant Dōminum: * Qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis Dōminus omnipotens. **V.** Ornaverunt faciem templi corōnis aureis, & dedicaverunt altare Dōmino. Qui magna. Glōria Patri. Qui.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. Cap. 5.

ET factum est, ut audierunt Gentes in circuitu, quia edificatum est altare, & sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde: & cogitabant tollere genus Jacob, qui erant inter eos, & cepērunt occidere de populo, & persequi. Et debellabat Judas filios Esaii in Idumæa, & eos qui erant in Acrabathāne, quia circumsedebant Israëlitas, & percussit eos plagā magnā. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui

qui erant pópulo in láqueum, & in scándalum, insidiántes ei in via. Et conclusi sunt ab eo in túrribus: & applicuit ad eos, & anathematizávit eos, & incéndit turres eórum igni cum ómnibus, qui in eis erant.

¶ Hic est frater amátor, & pópuli Israël: ¶ Hic est qui multum orat pro pópulo, & uníversa sancta civitate Jérusalem. ¶ Vir iste in pópulo suo mitissimus apparuit. Hic est.

Lectio ij.

ET transiit ad filios Ammon, & invénit manum fortem, & pópulum copiosum, & Timótheum ducem ipsorum: & commisit cum eis praelia multa, & contriti sunt in conspectu eórum, & percussit eos: & cepit Gazer civitatem, & filias ejus, & reversus est in Judæam. Et congregatae sunt Gentes, quae sunt in Galaad, adversus Israélitas, qui erant in finibus eórum, ut tollerent eos: & fugerunt in Datheman munitionem.

¶ Tu Dómine universórum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis: ¶ Conserva domum istam immaculatam in aeternum Dómine. ¶ Tu elegisti Dómine domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis pópulo tuo. Conserva domum.

Lectio iij.

ET miserunt litteras ad Judam & fratres ejus, dicentes: Congregatae sunt adversum nos Gentes per circuitum, ut nos auferant: & parant venire, & occupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus est dux exercitus eórum. Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eórum, quia cecidit multitudo de nobis. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecit: & captivas duxerunt uxores eórum, & natos, & spolia, & peremerunt illic fere mille viros.

¶ Aperi oculos tuos Dómine, & vide afflictionem nostram: circumdederunt nos Gentes ad puniendum nos: ¶ Sed tu Dómine extende brachium tuum, & libera animas nostras. ¶ Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbiam: & custodi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu.

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabéorum.

Lectio j. Cap. 5. f.

IN diébus, quibus erat Judas, & Jonathas in terra Galaad, & Simon frater ejus in Galilaea contra faciem Ptolemáidis, audivit Joséphus Zachariae filius, & Azarias princeps virtutis, res bene gestas, & praelia quae facta sunt, & dixit: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eam pugnare adversus Gentes, quae in circuitu nostro sunt. Et praecipit his, qui erant in exercitu suo, & abiérunt Jamniam.

¶ Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenderunt montes ab eis: ¶ Et fortitudo Géntium dissipata est. ¶ Erat enim exercitus magnus valde, & fortis: & appropriavit Judas, & exercitus ejus in praelio. Et.

Lectio ij.

ET exiit Górgias de civitate, & viri ejus obviam illis in pugnam. Et fugati sunt Joséphus, & Azarias usque in fines Judaeae, & ceciderunt illo die de pópulo Israël ad duo millia viri, & facta est fuga magna in pópulo: quia non audiverunt Judam, & fratres ejus, existimantes fortiter se facturos. Ipsi autem non erant de semine virórum illórum, per quos salus facta est in Israël.

¶ Ornaverunt faciem templi corónis aureis, & dedicaverunt altáre Dómino: ¶ Et facta est letitia magna in pópulo. ¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dóminus. Et facta.

Lec-

Lectio iij.

ET viri Juda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israél, & géntium ómnium, ubi audiebatur nomen eórum. Et convenérunt ad eos fausta acclamantes. Et exiit Judas, & fratres ejus, & expugnabant filios Esaii in terra, quae ad Austrum est, & percussit Chebron & filias ejus: & muros ejus, & turres succendit igni in circuitu. Et movit castra ut iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam. In die illa ceciderunt sacerdotés in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in praelium.

¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dóminus: ¶ Qui magna fecit in Israél, & victóriam dedit illis Dóminus omnipotens. ¶ Ornaverunt faciem templi corónis aureis, & dedicaverunt altáre Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

FERIA QUINTA.

De libro primo Machabéorum.

Lectio j. Cap. 6.

ET rex Antiochus perambulabat superiores regiones, & audivit esse civitatem Elýmáidem in Pérside nobilissimam, & copiosam in argénto, & auro, templumque in ea locuples valde: & illic velamina aurea, & lorice, & scuta, quae reliquit Alexander Phlippi rex Macedo, qui regnavit primus in Graecia. Et venit, & querebat capere civitatem, & depradari eam, & non potuit, quóniam innóuit sermo his, qui erant in civitate: & insurrexerunt in praelium, & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & reversus est in Babylóniam. Et venit qui nuntiaret ei in Pérside, quia fugata sunt castra, quae erant in terra Judaeae: & quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, & fugatus est à facie Judaeorum.

¶ Adapérat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in praecipis suis, & faciát pacem in diébus vestris: ¶ Concedat vobis salutem, & redimat vos à malis. ¶ Exáudiat Dóminus orationes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Concedat vobis.

Lectio ij.

ET invaluerunt armis, & viribus, & spoliis multis, quae ceperunt de castris, quae exciderunt: & quia diruerunt abominationem, quam aedificaverat super altáre, quod erat in Jerúsalem, & sanctificationem, sicut prius, circumdederunt muris excitis, sed & Bethsuram civitatem suam. Et factum est ut audivit rex sermões istos, expávit, & commotus est valde: & cecidit in lectum, & incidit in languorem praetristitia, quia non factum est ei sicut cogitabat. Et erat illic per dies multos: quia renovata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori.

¶ Exáudiat Dóminus orationes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos deserat in tempore malo, ¶ Dóminus Deus noster, ¶ Det vobis cor ómnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem. Dóminus.

Lectio iij.

ET vocavit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & cónnici, & corruí corde praesollicitudine: & dixi in corde meo: In quantum tribulationem devéni, & in quos fluctus tristitiae, in qua nunc sum: qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea! Nunc verò reminiscor malórum, quae feci in Jerúsalem, undé & abstuli ómnia spolia aurea, & argentea, quae erant in ea, & misi autem habitantes Judaeam sine causa. Cognóvi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: & ecce péro tristitia magna in terra aliena.

B.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua: contere fortitudinem illorum Domine, & disperse illos: **V.** Ut cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **V.** Disperge illos in virtute tua, & destrue eos protector noster Domine. Ut cognoscant. Gloria Patri. Ut cognoscant.

FERIA SEXTA.

De libro primo Machabeorum.

Lectio i.

Anno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, & ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic. Et sedit Demetrius super sedem regni sui: & venerunt ad eum viri iniqui, & impii ex Israel: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos. Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdidit Judas, & fratres ejus omnes amicos tuos, & nos dispersit de terra nostra. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus regis: & puniat omnes amicos ejus, & adiutores eorum.

V. Impetum inimicorum ne timueritis: memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: **V.** Et nunc clamemus in celum, & miseribitur nostri Deus noster. **V.** Mementote mirabilium ejus, quae fecit Pharaoni, & exercitui ejus in Mari rubro. Et nunc.

Lectio ii.

ET elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnum in regno, & fidellem regi: & misit eum, ut videret exterminium, quod fecit Judas: sed & Alcimus impius constituit in sacerdotium, & mandavit ei facere iustitiam in filios Israel. Et surrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Juda: & miserunt

nonios, & locuti sunt ad Judam, & ad fratres ejus verbis pacificis in dolo. Et non intendunt sermonibus eorum: viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno.

V. Congregatae sunt Gentes in multitudine, ut dimicerent contra nos, & ignoramus quid agere debeamus. **V.** Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **V.** Tu scis quae cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adjuves nos? Domine Deus.

Lectio iii.

ET convenerunt ad Alcimum, & Bacchidem congregatio Scribarum requirere quae justa sunt: & primi, Assidae qui erant in filiis Israel, & exquirebant ab eis pacem. Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos. Et locutus est cum eis verba pacifica: & juravit illis, dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicus vestris. Et crediderunt ei: Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una die secundum verbum, quod scriptum est: Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuito Jerusalem, & non erat qui sepeliret.

R. Tua est potentia, tuum regnum Domine: tu es super omnes gentes. **V.** Da pacem Domine in diebus nostris. **V.** Creator omnium Deus, terribilis & fortis, justus & misericors. Da pacem. Gloria Patri. Da pacem. S A B B A T O.

De libro primo Machabeorum.

Lectio i.

ET audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia, quae postulatur ab eis: & quicumque accesserunt ad eos, statuerunt cum eis amicitias, & quia sunt potentes viribus. Et audiverunt praelia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt

runt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub tributum, & quanta fecerunt in regione Hispaniae, & quod in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quae illic sunt, & patientia: locaque quae longe erant valde ab eis, & reges quae supervenerant eis ab extremis terrae, contriverunt, & percusserunt eos plagamagna: caeteri autem dant eis tributum omnibus annis.

R. Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenderunt montes ab eis: **V.** Et fortitudo Gentium dissipata est.

V. Erat enim exercitus magnus valde, & fortis: & appropriavit Judas, & exercitus ejus in praelio. Et.

Lectio ii.

ET elegit Judas Eupoleum filium Joannis, filii Jacob, & Jasonem filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam & societatem: & ut auferrent ab eis jugum Graecorum, quia viderunt, quod in servitum premerent regnum Israel. Et abierunt Romam viam multam valde, & introierunt curiam, & dixerunt: Judas Machabeus, & fratres ejus, & populus Judaeorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem, & pacem, & conscribere nos socios, & amicos vestros. Et placuit sermo in conspectu eorum. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis aereis, & miserunt in Jerusalem, ut esset apud eos ibi memoriae pacis & societatis.

R. Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino: **V.** Et facta est laetitia magna in populo. **V.** In hymnis & confessionibus benedicebant Dominum. Et facta est.

Lectio iii.

Bene sit Romanis, & genti Judaeorum in mari, & in terra in aeternum: gladiusque & hostis pro-

cul sit ab eis. Quod si institerit belulum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum: auxilium feret gens Judaeorum, prout tempus dicaverit, corde pleno: & praerantibus non dabunt neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. Similiter autem & si genti Judaeorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit.

R. In hymnis & confessionibus benedicebant Dominum: **V.** Qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis Dominus omnipotens. **V.** Ornaverunt faciem templi coronis aureis, & dedicaverunt altare Domino. Qui magna fecit. Gloria Patri Qui magna.

Ad Magnificat, Antiphona.

Lugebat autem Judam Israel plancitu magno, & dicebat: Quomodo cecidisti potens in praelio, qui salvum faciebas populum Dominum?

DOMINICA III.

Octobris.

In primo Nocturno.

De libro primo Machabeorum.

Lectio j.

Interea ut audivit Demetrius quia cecidit Nicenor, & exercitus ejus in praelio, apposuit Bacchidem, & Alcimum rursus mittere in Judaeam, & dextrum cornu cum illis. Et abierunt viam, quae ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth, quae est in Arbellis: & occupaverunt eam, & peremerunt animas hominum multas. In mense primo anni centesimi & quinquagesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Jerusalem: & surrexerunt, & abierunt in Beraem viginti millia virorum, & duo millia equitum. Et Judas posuerat castra in Laisa, & tria mil-

fratres tuos, in Gallilæam: ego autem, & Jónathas frater tuus, ibimus in Galaaditum: * Sicut fuerit voluntas in celo, sic fiat. ¶ Accingimini filii potentes, & estote parati, quoniam melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum. Sicut fuerit.

Lectio ij.

ET cognovit Jónathas, & Simon frater ejus, & omnes, qui cum eo erant: & fugerunt in desertum Thécue, & consederunt ad aquam lacus Asphar. Et cognovit Baccihides, & die sabbatorum venit ipse, & omnis exercitus ejus trans Jordanem. Et Jónathas misit fratrem suum ducem populi, & rogavit Nabuthæos amicos suos, ut commo-derent illis apparatus suum, qui erat copiosus. Et exierunt filii Jambri ex Madaba, & comprehenderunt Joannem, & omnia, quæ habebat, & abierunt habentes ea.

¶ Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Dómino: * Et facta est letitia magna in populo. ¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dóminus. Et facta.

Lectio iij.

Post hæc verba renuntiatum est Jónathæ, & Simóni fratri ejus, quia filii Jambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chánaan cum ambitione magna. Et recordati sunt sanguinis Joannis fratris sui: & ascenderunt, & absconderunt se sub tegumento montis. Et eleuauerunt oculos suos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit, & amici ejus, & fratres ejus obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, &

residui fugerunt in montes: & acciperunt omnia spolia eorum.

¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dóminus: * Qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis Dóminus omnipotens. ¶ Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui magna.

FERIA TERTIA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. Cap. 12.

ET vidit Jónathas quia tempus eum iuvat, & elegit viros, & misit eos Romam statuere, & renouare cum eis amicitiam: & ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolam secundum eandem formam: & abierunt Romam, & intrauerunt curiam, & dixerunt: Jónathas summus sacerdos, & gens Judæorum miserunt nos, ut renouarem amicitiam, & societatem secundum pristinum. Et dederunt illis epistolam ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Juda cum pace.

¶ Hic est fratrum amator, & populi Israël: * Hic est qui multum orat pro populo, & uniuersa sancta civitate Jerusalem. ¶ Vir iste in populo suo mitissimus apparuit. Hic est.

Lectio ij.

ET hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Jónathas Spartiatas: Jónathas summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Judæorum, Spartiatas fratribus salutem. Jam pridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subiectum est. Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolam, in quibus significabatur de societate & amicitia.

¶ Tu Dómine uniuersorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti

tem-

templum tuum fieri in nobis:

* Conserva domum istam immaculatam in ætérnum Dómine. ¶ Tu elegisti Dómine domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis & obsecrationis populo tuo. Conserva.

Lectio iij.

Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctorum libros, qui sunt in manibus nostris, maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem, & amicitiam, ne forte alieni efficiamur à vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solémnibus, & cæteris, quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis, quæ offerimus, & in observationibus, sicut fas est, & deet meminisse fratrum.

¶ Aperi oculos tuos Dómine, & vide afflictionem nostram: circumdederunt nos Gentes ad puniendum nos: * Sed tu Dómine extende brachium tuum, & libera animas nostras. ¶ Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbiam, & custodi partem tuam. Sed tu Dómine. Glória Patri. Sed tu.

FERIA QUARTA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j. Cap. 12. f.

ET cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema, & extendere manum in Antiochum regem: timens ne forte non permitteret eum Jónathas, sed pugnaret adversus eum, quærebatur comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethsan. Et exiit Jónathas obviam illi cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Bethsan. Et vidit Tryphon quia venit Jónathas cum exercitu multo ut extendere in eum manus, timuit. Et ex-

Pars Estiva.

pit eum cum honore, & commendavit eum omnibus amicis suis, & dedit ei mûnera: & præcepit exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi. ¶ Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenderunt montes ab eis: * Et fortitudo Gentium dissipata est: & fortis: & appropiavit Judas, & exercitus ejus in prælio. Et fortitudo.

Lectio ij.

ET dixit Jónathas: Ut quid vexastis uniuersum populum, cum bellum nobis non sit? Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, & veni mecum Ptolemædam, & tradam eam tibi, & reliqua præsidia, & exercitum, & uniuersos præpositos negotii, & conversus abibis: propterea enim veni. Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exercitum, & abierunt in terram Juda. Retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.

¶ Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Dómino: * Et facta est letitia magna in populo. ¶ In hymnis & confessionibus benedicébat Dóminus. Et facta.

Lectio iij.

UT autem intravit Ptolemædam Jónathas, clauserunt portas civitatis Ptolemenses: & comprehenderunt eum: & omnes, qui cum eo intraverant, gladio interfecerunt. Et misit Tryphon exercitum, & equites in Galilæam, & in campum magnum ut perderent omnes socios Jónathæ. At illi cum cognovissent quia comprehensus est Jónathas, & periiit, & omnes, qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium. Et videntes hi, qui inscuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi

V

sunt

sunt: illi autem venerunt omnes cum pace in terram Juda. Et planxerunt Jónathan, & eos, qui cum ipso fuerant, valde.

R. In hymnis & confessionibus benedicēbant Dómino: Qui magna fecit in Israël, & victóriam dedit illis Dóminus omnipotens. **V.** Ornavērunt faciem templi coronis aureis, dedicaverunt altare Dómino. Qui magna. Glória Patri. Qui.

FÉRIA QUINTA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j.

Cap. 13.

ET audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copiosum ut veniret in terram Juda, & attēreret eam. Videns quia in tremore pópulus est, & in timóre, ascendit Jérusalem, & congregavit pópulum: & adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & pro sanctis, prælia, & angustias quales vidimus: horum gratiã perierum fratres mei omnes propter Israël, & relictus sum ego solus. Et nunc non mihi contingat parcere animã meã in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis. Vindicabo itaque gentem meam, & sancta, natos quoque nostros, & uxores: quia congregatæ sunt universæ Gentes contētere nos inimicitie gratiã.

R. Adaperiat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diebus vestris: Concedat vobis salutem, & redimat vos à malis. **V.** Exaudiat Dóminus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Concedat.

Lectio ij.

ET accensus est spiritus pópuli simul ut audiret sermones istos: & responderunt voce magnã dicentes: Tu es dux noster loco Judæ, &

Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum: & omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus. Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos muros Jerusalem, & munivit eam in gyro. Et misit Jónatham filium Absalom, & cum eo exercitum novum in Joppen, & ejectionis his, qui erant in ea, remansit illic ipse. Et movit Tryphon à Ptolemæida cum exercitu multo, ut veniret in terram Juda, & Jónathas cum eo in custodia. Simon autem applicuit in Addus contra faciem campi.

R. Exaudiat Dóminus orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. **V.** Dóminus Deus noster. **V.** Det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem. Dóminus.

Lectio iij.

ET ut cognovit Tryphon quia surrexit Simon loco fratris sui Jónathæ: & quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatós, dicens: Pro argēto, quod debēbat frater tuus Jónathas in ratione regis, propter negotia, quæ habuit, detinimus eum. Et nunc mitte argenti talēta centum, & duos filios ejus óbsides, ut non dimissus fugiat à nobis, & remittamus eum. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, jussit tamen dari argētum, & pueros: ne inimicitiam magnam sumeret ad pópulum Israël, dicentem: Quia non misit ei argētum, & pueros, propterea periit. Et misit pueros, & centum talēta: & mentitus est, & non dimisit Jónathan.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in virtute sua: contētere fortitudinem illórum Dómine, & dispérge illos: Ut cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **V.** Dispérge illos in

in virtute tua, & destrue eos protector noster Dómine. Ut cognoscant. Glória Patri. Ut cognoscant.

FÉRIA SEXTA.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j.

Cap. 14. b

ET auditum est Romæ quia defunctus esset Jónathas: & usque in Spartiãtas: & contristati sunt valde. Ut audierunt autem quod Simon frater ejus factus esset summus sacerdos loco ejus, & ipse obtinere omnem regiõnem, & civitates in ea, scripsērunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias, & societatem, quam fecerant cum Juda, & cum Jónatha fratribus ejus. Et lectæ sunt in conspectu ecclēsiæ in Jérusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiãtæ miserunt.

R. Impetum inimicórum ne timueritis: mēores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: Nunc clamemus in cœlum, & miseribunt nostri Deus noster. **V.** Mementote mirabilium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercitui ejus in Mari rubro. Et.

Lectio ij.

Spartianórum principes, & civitates, Simóni Sacerdoti magno, & senioribus, & sacerdotibus, & reliquo pópulo Judæorum, fratribus, salutem. Legati, qui missi sunt ad pópulum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra glória, & honore, ac lætitiã: & gavisi sumus in introitu eórum. Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis pópuli, sicut Numenius Antiochi, & Antipater Jasonis filius, legati Judæorum, venerunt ad nos renovantes nobiscum amicitiam pristinam. Et placuit pópulo excipere viros gloriósè, & ponere exemplum sermonum eórum in segregatis pópuli libris, ut sit ad memoriã pópulo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simóni magno Sacerdoti.

R. Congregatæ sunt Gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, & ignoramus quid agere debeamus:

V. Dómine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **V.** Tu scis quæ cogitant in nos: quomodo poterimus subsistere ante faciem illórum, nisi tu adjuves nos? Dómine.

Lectio iij.

Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondonarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset pópulus Románus sermones istos, dixerunt: Quam gratiárum actiõnem reddemus Simóni, & filiis ejus? Restituit enim ipse fratres suos, & expugnavit inimicos Israël ab eis, & statuerunt ei libertatem, & descripsērunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.

R. Tua est potētia, tuum regnum Dómine: tu est super omnes gentes: Da pacem Dómine in diebus nostris. **V.** Creator omnium Deus, terribilis & fortis, justus & misericors. Da pacem. Glória Patri. Da.

S A B B A T O.

De libro primo Machabæorum.

Lectio j.

Cap. 16. c

Simon autem, perambulans civitates, quæ erant in regione Judææ, & sollicitudinem gerens eárum, descendit in Jéricho ipse, & Mathathias filius ejus, & Judas, anno centésimo septuagesimo septimo, mense undécimo: hic est mensis Sabbath. Et suscepit eos filius Abóbini in nuntiinculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam adificavit: & fecit eis convivium magnum, & abscondit illic viros. Et cum inebriatus esset Simon, & filii ejus, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpsērunt arma sua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum,

V 2

eum, & duos filios ejus, & quosdam pueros ejus. Et fecit deceptionem magnam in Israël, & reddidit mala pro bonis.

R. Refulsit sol in clypeos aureos, & resplenduerunt montes ab eis: **•** Et fortitudo Gentium dissipata est. **¶** Erat enim exercitus magnus vadē, & fortis: & appropriavit Judas, & exercitus ejus in pralio. Et.

Lectio ij.

ET scripsit hæc Ptolemæus, & misit regi, ut mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & civitates eorum, & tributa. Et misit alios in Gázaram tollere Joánnem: & tribunis misit epistolatas, ut venirent ad se, & daret eis argentum, & aurum, & dona. Et alios misit occupare Jérusalem, & montem templi. Et præcurrens quidam, nuntiavit Joánni in Gázara, quia periit pater ejus, & fratres ejus, & quia misit te quoque interfici.

R. Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Dómino: **•** Et facta est lætitia magna in pópulo. **¶** In hymnis & confessionibus benedicébant Dóminum. Et facta.

Lectio iij.

UT audivit autem, vehementer expávit: & comprehendit viros, qui vénerant perdere eum, & occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere. Et cætera sermónum Joánnis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & ædificii murorum, quos extruxit, & rerum gestarum ejus: ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

R. In hymnis & confessionibus benedicébant Dómino: **•** Qui magna fecit in Israël, & victoriam dedit illis Dóminus omnipotens. **¶** Orna-

uerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Dómino. Qui magna. Gloria Patri. Qui.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exáudiat Dóminus orationes vestras, & reconciliétur vobis: nec vos déserat in tēpore malo Dóminus Deus noster.

DOMINICA IV.
Octobris.

In primo Nocturno.

Incipit liber secundus Machabæor. **Lectio ij.** *Cap. 1.*

FRATRIBUS, qui sunt per Ægyptum, Judæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Jerosólymis, Judæi, & qui in regione Judææ, & pacem bonam. Beneficiat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Jacob servorum suorum fidelium: & det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti. Adapériat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exáudiat orationes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in tēpore malo. Et nunc hic sumus orantes pro vobis.

R. Adapériat Dóminus cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem in diébus vestris: **•** Concedat vobis salutem, & redimat vos à malis. **¶** Exáudiat Dóminus orationes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in tēpore malo. Concedat.

Lectio iij.

FACTURI igitur quinta & vigésima die mensis Casleu purificationem templi, necessariam duximus significare vobis: ut & vos quoque agatis diem scenopégia, & diem ignis, qui datus est quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui

qui tunc cultores Dei erant, accēptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus.

R. Exáudiat Dóminus orationes vestras, & reconciliétur vobis, nec vos déserat in tēpore malo, **•** Dóminus Deus noster. **¶** Det vobis cor omnibus ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem. Dóminus.

Lectio iij.

CUM autem præterissent anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias à rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narraverunt nobis, non invenerunt ignem: sed aquam erassam. Et jussit eos haurire, & afferre sibi: & sacrificia, quæ impósita erant, jussit sacerdos Nehemias aspèrgi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superpósita. Utque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in núbilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.

R. Congregati sunt inimici nostri, & gloriántur in virtute sua: cóntere fortitudinem illorum Dómine, & dispèrge illos: **•** Ut cognoscant, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster. **¶** Dispèrge illos in virtute tua, & déserte eos protector noster Dómine. Ut cognoscant. Glória Patri. Ut cognoscant.

In secundo Nocturno.

Ex Tractatu Sancti Joánnis Chrysostomi super Psalmum quadragesimum tertium.

Lectio iv.

DEUS, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diébus eorum. Hunc Psalmum dicit quidem Propheta, dicit autem non ex persona propria, sed ex

persona Machabæorum, narrans & prædicans quæ futura erant illo tēpore. Tales enim sunt Propheta: omnia tēpóra percúrrunt, præsentia, præterita, futura. Quinam sint autem hi Machabei, quidque passi sint & quid fecerint, necessariam est primum dicere, ut sint aperióra quæ in argumento dicuntur. Hi enim, cum invasisset Judeam Antiochus qui dictus est Epiphanes, & omnia devastasset, & multos qui tunc erant, à patris institutis resiliere cogasset, permanserunt illi ab illis tentationibus.

R. Impetum inimicorum ne timeritis: memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri: **•** Et nunc clamemus in coelum, & miserébitur nostri Deus noster. **¶** Memento mirabilium ejus, quæ fecit Pharaóni, & exercitui ejus in Mari rubro. Et.

Lectio v.

ET quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquam possent facere quod prodesset, se abscondébat: nam hoc quoque fecerunt Apóstoli. Non enim semper apparentes in média irruébat perícula, sed nonnumquam & fugientes & latentes secedébat. Postquam autem parum respirarunt, tamquam generosi quidam cātuli ex antris exiliétes, & è latebris emergétes, statuerunt non se amplius solos servare, sed etiam alios quoscúmque possent: & civitatem & omnem regionem obeintes, collegérunt quotquot invenerunt adhuc sanos & integros: & multos etiam qui laborabant & corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad legem patriam.

R. Congregate sunt Gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, & ignoramus quid agere debeamus: **•** Dómine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. **¶** Tu scis quæ